

Parisiensi pro populo unam tantummodo religionem, eamque veterem, Catholicam Apostolicam Romanam in Galliis admit- tendam contendentibus: nihil iis regnis ac provinciis accidere deterius posse, in quibus diversæ pugnantesque inter se religio- nes essent: intestinam in visceribus pestem aliquando magno im- petu erupturam, ingentemque stragem daturam. Huic sententiæ, matre, Mompenserio, ac Belleurio suadentibus, Henricus ac- cessit; inde novi tumultus excitari, foederati rursus arma com- parare, nova moliri, cuncta iterum ad bellum spectare cœpe- runt. Legatos ad Germanos Principes Henricus mittit: cur nu- per invecram religionem, bellorum civilium segetem, excinde- re statuerit, exponit: id ni sponte subjecti faciant, armis co- acturum. Petit, ab ope iis ferenda abstineant. Ludovicus Comes Palatinus, & Casimirus fratres acerbo ac minaci re- sponso oratores dimittunt; Hassiæ Lantgravius occulto novæ religioni favens, subsidia tamen perduellibus minime laturum pollicetur. Navarræ Rex in Gallia Narbonensi, Condæus in Xantonibus arma parant, populosque ad nova foedera concia- rant.

1577

*Gallorum
nova diffi-
dia.*

Eodem tempore Gandavi, pacis licet formula confecta, Joannis Austriaci, quem Philippus iis provinciis regendis præ- fecerat, adventu, Belgarum suspensæ mentes detinebantur. Quamvis enim initio Hispanos aliosque peregrinos milites di- misisset, invidiam ab Arausionensis Principis factionibus vitare nequiverat, qui & auctoritate & religionis, quam profiteba- tur, libertate, miro artificio populorum animos ad liberta- tem novumque reipublicæ statum constituendum erexerat. Ita eo anno Galliæ, Germaniæque inferioris res se habebant.

Verum, in Galliis Ugonottis depresso, Brovagioque & Chari- tea urbibus a regiis captis, tandem Mompenserii Ducis auctori- tate ac opera pax denuo icta. De religione in id conventum, ut Catholica in quibuscumque provinciis, civitatibusque conserva- retur; ubicumque aboliti ejus cultus fuissent, restituerentur: novæ usus in locis, qui foederatis parerent, iis exceptis, quæ su- periori bello ceperant, permitteretur: unicuique, quam de reli- gione sententiam vellet amplecti, liberum esset: at catholici ritus in connubiis quo ad cognationum gradus ubique servarentur. His conditionibus septembris mensis exitu firmata pace tranquil-

*Pax in
Gallia de-
nuo sancit-
ur.*